



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput X. Christus in monte Calvariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

bor. Una salus nobis, per te sperare salutem. Tu factus es mihi in salutem, qui dixisti: Salus tua ego sum.

Ps. 117.

28.

Ps. 34. 30.

CAPUT X.

Christus in monte Calvaria.

§. I.

Exiit Vestibus.

Magnus ille Bellator, qui docet manus nostras ad praelium, & digitos nostros ad bellum; pro summa rei decretoriam pugnam pugnaturus, prostraturus aërias potestates, triumphaturus Luciferum, debellaturus mundum, & eieciturus foras Principem mundi, voluit omnia exuere quæ erant mundi, dum placuit nudum mori: confundens hoc modo prudentiam mundi stultitiâ, infringens fortia imbecillitate, obscurans gloriam ignominia, infamans opes nuditate, resuscitans mortuos sua morte. Exiit ergo suis vestimentis, ut nudus pugnet, sic pugnando vincat, vincendo triumphet, triumphando totam triumphantis Ecclesiæ regionem immenso gaudio perfundat. Mox ergo illi vestes detractæ, & una jam non cutis, quæ pridem flagellis cesserat, sed caro ipsa, quæ sanguinis concreti quasi glutino ad vestem adhæretcebat, evelli frustatim, & sanguinis rivuli manare cœperunt. Ita Christus toto corpore nudus expositus undique frigido aëri, perfusus stillante cruore, laceratus vulneribus, fatigatus laboribus, oppletus doloribus, circumseptus tortoribus, verè nunc non homo, sed

ver-

vermis, sanguinolentos oculos hinc atque inde circumfert, ut videat an sit qui consoletur eum, & non invenit. Videt à tergo Matrem, sed ipsam doloribus oppressam: discipulum, quem diligebat, Joannem, sed vix sui præ incertore compotem: piâs mulieres, sed amaritudine plenas. O Jesu, quàm carò tibi constiti! Juvat hic te alloqui verbis servi tui Augustini: *Quid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? quid commisisti dulcissime juvenis, ut aded dure tractareris, quod scelus tuum? qua noxa tua? que occasio tua damnationis? Ego, ego sum tui causa doloris, tua culpa occisionis, ego tua mortis meritum, tua vindicta flagitium. O miserabilis censura conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Peccat iniquus, & punitur justus, delinquit reus, & vapulat innocens. Quod meretur malus patitur bonus, quod perpetrat servus, exsolvit Dominus, quod committit homo, sustinet Deus. Adhuc peccas, ô homo? Necdum amas tui amantem, ut credas præ amore penè amantem? O quale spectaculum, ad quod mirum est, totum universum non rediisse ad nihilum? Stare Filium Dei in loco totius mundi vilissimo, in cadaveroso, & olido veluti fimeto, furcis, & crucibus infami, omni humana ope destitutum, nudum, lividum, sacerum, conspersum undique ludore, lachrymis, sanguine, inter sævientes ventorum turbines contremiscentem, expectare carnificum sævum imperium, ut se ad illorum arbitrium in crucem inclinet, manus, pedesque clavis configendos, ad eorum nutum extendat. O fides, quid nos doces! quid nos cogis credere, & si non credimus, æternitatem suppliciorum omnium minaris! Scio sæpè sub sordido palliolo latere sapientiam, sed sub tali corporis scemate, latere æternam sapientiam, Filium Dei, sub figura*

magis laniatæ pecudis, quàm hominis, concludi illum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, quis nobis persuadeat, nisi tu, ô fides? Rectè voluisti claudi oculos corporis, abesse sensus, excludi rationem, non audiri Naturam. Aliàs Fides omnium laboraret in credendo illa posse fieri, quæ doces jam facta. Tantus nimirum est amor Jesu, ut plus possit ille in amatorum gratiam facere, quàm illi de amante, viribus Naturæ possint credere. Verè testimonia amoris tui credibilia sunt nimis: sed credibilia sola fide divina, incredibilia fide humana. Interim, qui sic nudus hic contemnebatur ab hominibus, in cœlis adorabatur ab Angelis, in orco timebatur à dæmonibus. O Ambitiose! vis coli ab hominibus, æstimari ab Angelis, timeri à dæmonibus? Ut in hoc mundo, Christo corpus, ita & nudus tibi sit animus. Imitare consilium D. Pauli. *Expoliate veterem hominem cum actibus suis.* Nudus omni affectu mundi, & eorum quæ sunt mundi, est major mundo: is poterit tamquam invictus Athleta hostes ultrò laceffere, quosvis ad certamen provocare. Nudum dæmones non tantum non invadunt, sed fugiunt; non tantum non oppugnant, sed formidant. Sic nudus, stabis velut Christus in monte, eminebis, extabis, omnibus excelsior factus, humanis altior. Piè ambitiosus, ut sic efferat, tuam, ô Christe, amplector nuditatem. Tu illa abjecta hominibus, sed gloriosa Angelis nuditas; quæ illæ, quas moriturus exuisti vestes, clamant cum tuo Apostolo: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Tu, cum ne filium quidem volueris moriens reservare; cum sic nudus volueris abire ex hoc mundo, toto corpore clamabas, quod paulò ante coram Pila-

Nudus
affectu
mundi,
est ma-
ior mū-
do.

Colos. 3. 9

Rom. 13.
14.

to;

Ioan. 18.
36.

ro: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Fateor, non possum regnare nunc in mundo, & postea in caelo, hic indui purpurâ & bysso, & postea stolâ gloriæ: hic implere ventrem, & postea mentem. Nolo ergo regnum meum sit de hoc mundo, quia nihil est in mundo, nisi malignitas, nihil in mundi felicitate, nisi infelicitas; nihil in mundi opibus, nisi iniquitas; nihil in mundi voluptatibus, nisi acerbitas; nihil in mundi prudentia, nisi stoliditas: nihil in toto mundi regno, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, postea vero nihil, nisi malorum omnium æterna æternitas.

§. II.

Potatur felle.

Matt. 27.
34.

Prov. 23.
32.

I. Reg. 14.
43.

Ezech.
21. 31.

NUllum erat in Christi corpore membrum, quod non perceperat suum tormentum. Afflictae fuerant aures contumeliis, genæ alapis, facies lputis, oculi velo, nares fœtore, caput spinis, manus funibus, humeri pondere crucis, totum corpus flagellis. Unum adhuc supererat membrum à pœnis immune, lingua. Hæc ergo ut pœnæ esset particeps, *dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Gustaverat Adam vetitum fructum, & erat dulcis gutturi ejus: sed cum ad viscera descendit, *mordebat ut coluber, & sicut regulus, venena diffudit.* Enim verò vix primariis labris gustaverat, & ecce clamabat, quod postea Jonas: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior.* Audiebat hæc magnus ille medicus, & reclamabat: *Quare morimini?* Descendit ad ægtum, ascendit ad montem myrrhæ; sciebat contraria contrariis curanda: bibit vinum felle mixtum, & clamat medicus ad ægrum: *Gustans gustavi paululum fellis, & ecce vitâ vives, & non morieris.* Quid hic prius admiter,

medici clementiam, an infirmi malitiam? Deus bonorum nostrorum non eget; & tamen ipse descendit ad nos: at nos illius nimis quàm indigemus subsidio, & tamen eum fugimus. Non erat nobis obstrictus, & tamen redemit nos: illi obstricti sumus, & offendimus illum. Debebat nobis ob scelera pœnam, largitus est gratiam; debemus illi ob beneficia obsequium, & rependimus injuriam. Poterat nos deserere, & quæsivit nos; oportet nos illum quærere, & fugimus ab illo. Poterat nos odisse, & dilexit; nos obligamur illum diligere, & odimus. Poterat nos relinquere in Ægypto, & introduxit in terram lacte & melle fluentem; & nos damus illi in escam fel. Ipsius clementia nostræ ignovit malitiæ, & nostra malitia cum ipsius certat clementia. Quæ magis digna admiratione, an ipsius bonitas, an nostra iniquitas? Altera me confundit pudore, altera me perfundit stupore. Hoc est fel illud amarum, fel draconum, quod tibi proponit homo post tot beneficia, tanta ingratitude. Cùm tamē nihil sit homini pronius, nil facilius, quàm Christo gratū esse pro beneficiis, cui sufficit meminisse beneficiorum. Hoc Christi fel, & ablynthium in mel, & vinum convertit. Scio, hæc eloquia, quibus referuntur tua beneficia, *dulciora sunt super mel & favum*. Dabo ergo tibi non fel, sed vinum cum melle mixtum, canendo misericordias tuas, referendo miseras meas. *Venite ergo, audite & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea*. Jacebam in tenebris, & umbra mortis, vir mortis, & *filius iræ*: quia debebam plus quàm decem millia talenta; & cùm non haberem quod redderem, traditus sum tortoribus, quoadusque redderem unversum debitum. Venit Deus dives in misericordia

(com-

Ingrati-
tudo ho-
minis in
Deum.

Ps. 18. 11.

Ps. 65. 16

Benefi-
cia Deiin ho-
mines.

Ephes. 2. 3

Ps. 17. 10.

(commota sunt enim viscera ejus super miseria mea) & inclinavit caelos, & descendit. Cur? Ut meli-
beraret. Unde? A carcere. Quibus poenis? Aeter-
nis. Quo tempore? cum essem inimicus ejus. quo
pretio? Sanguine suo. Quibus mediis? Tormen-
tis, ignominia, felle, spinis, cruce, morte. O por-
tentum amoris! o miraculum clementiae! o pro-
digium misericordiae! Tantum diligere inimicum,
tantum laborare pro ingrato, tanta & facere, &
pati pro perfido! Ut liberet servum, descendere
Dominum! unde? e throno gloriae. Quod? Ad scae-
num, & praesepe. Laborare: a quo tempore? ab
infantia. Quoadusque? usque ad mortem. Ex-
pendere, quid? Sanguinem. Quantum? usque ad
novissimam guttam. Pati, quae? Quidquid finge-
re potest ingeniosa in poenas crudelitas. Quis est
ille tam peregrinus in homines amor? Quis ille,
& unde tantus favor? Hinc videre hominem
reum, inde offensum Deum. Qui nihil debebat
homini post tot scelera, nisi aeterna supplicia: ta-
men stare in monte nudum, saturatum oppro-
briis, potatum felle. Sed in vanum laborat huma-
num ingenium, si velit assequi hoc arcanum amo-
ris sacramentum. Debet coli, non potest capi.
Plus potest tuus amor facere, quam potest ho-
mo, qui amatur, concipere. Nec intelligam, nisi
intra vero sanctuarium tuum: ibi eructabis my-
steria abscondita a seculo, dum potabis nos non
felle, sed torrente voluptatis, dum inebriabimur
ab ubertate domus Dei.

§. III.

Recusat Christus fel bibere.

Arcanum est, & ideo solerter investigandum
quod sequitur facinus. Admoverat Chri-
stus,

stus, ut fel gustaret, labia; *Et cum gustasset, noluit bibe-* *Matt. 27.*
bere. 34.

Quid hoc mysterii est? Qui omne genus car-
nificinæ, & tormenti admisit, hoc unum cur o-
misit? *Noluit bibere.* Dederunt ei alapas; voluit ex-
cipere; conspuerunt faciem; voluit illam fœdari:
falsò accusarunt; cum silentio voluit perferre:
flagellarunt; voluit flagella admittere: spinis co-
ronarunt; voluit spinis pungi: crucem imposue-
runt; voluit ferre. *Dant ei vinum felle mistum: noluit*
bibere. Qui omnia admisit, cur unum excepit? qui
in toto corpore, & quolibet corporis membro
nullum non cruciatum expertus est, cur solam
linguam vult esse à dolore exemptam? Hic my-
sterium latet. Quis hoc nobis enodabit Sacra-
mentum? Profectò debuit fuisse oppidò amarū
illud fel: qui omnia pœnarum genera admittere
voluit, hoc unum noluit. Aperiā quæ hic latent
arcana. Est lingua, quæ, ut loquitur David, *est Do-*
losa; ut Salomon, *Fallax;* ut Ecclesiasticus, *Coinqui-*
nata; ut Michæas, *Fraudulenta.* *Sub ejus labiis est ve-*
nenum aspidum, ut canit David. Ex illa lingua fluit
fel illud, quod Christus noluit bibere. De lingua
enim exeunt detractio, contumeliæ, opprobria,
maledicta, juramenta, mendacia, blasphemix:
sed præ omnibus detractio, quæ illud homini
detrahit, quo nihil habet pretiosius in vita, no-
men, famam, æstimationem. Audite loquentem
Davidem, vel potius Davidis ore, eum qui voluit
vocari filius David, Jesum, *Si inimicus meus maledi-*
xisset mihi, sustinuissem utique. Tu verò homo unanimis
dux meus & notus meus. Si malediceret, si detrahe-
ret, si traduceret alienam famam Ethnicus, si
Turca, si Judæus, si Hæreticus; sustinenda esset
injuria. Sed tu Catholice, qui solenni Sacramen-

Ps. 108.

Prov. 26.

Ecc. 51.7

Mich. 6.

Ps. 138.4

Detra-

ctio quæ

gravis.

Ps. 54.12.

Patien-
ter per-
ferenda
detra-
ctio.

to te mihi consecrasti: Tu Sacerdos, qui quotidie
linguam tuam ex sacra ara refers sanguine meo
cruentam; quod tu illud fel mihi propines; non
possum illud bibere. Est fel aspidum, est vene-
num draconum. Hoc est vinum, felle mistum.
Miscent cum illo cœlesti vino; cum Christi san-
guine, quo toties potantur, fel illud amarulentæ
linguæ, detractiones, contumelias, opprobria.
Tamen si, ne qui læduntur gladio illo acuto, lin-
guâ, inquam, & linguæ convitiis, animos abji-
ciant, sed erigant, & vilipendant has injurias: con-
siderent illi, quid sit, quod dicatur? à quibus? quo
animo? Quid sit: verum an falsum? Si verum; non
est cur vero offendamur: si falsum, non est cur
falsa æstimemus, quæ mox majori cum patientis
honore detegentur. A quibus? Ab hostibus? quid
mirum? At nemo credit. Ab amicis? Quid no-
vum? At nemo probabit. Ab inferioribus? Ne-
gligendum est. Ab æqualibus! ignoscendum. A
superioribus, perferendum. Quo animo? Erro-
re? Non igitur offendamur: nemo enim injuriam
inferre dicitur, quam se inferre nescit. Consilio?
Quod potest esse injuriæ inferendæ? Semper hic
error est: condonemus errantibus: & nos sæpè
erramus. Summa est, ut qui injuriam accepit, eo
se sciat superiorem esse, qui illam infert. Hæc si
ritè expenderis, fel illud amarulentæ linguæ gu-
stabis quidem, uti Christus, sed tum non bibes:
non penetrabit viscera, non insinuabit se in me-
dullas, non pervadet animum, sed tantum ante
leviter perstringet. Gustabis, quia natura sentiet;
non bibes, quia animus non succumbet. Sed
quid ego tibi propinabo, fons vitæ, qui pro me
potaris felle? Si loquar, cum *ex abundantia cordis* loquitur; cor meum est plenum amaritudine fel-
lis.

Matt. 12.

34.

lis ? non vis autem fel bibere. Scio autem sitire te, licet inebrieris ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis poteris. Si velim flendo offerre tibi lacrymas; vereor ne audiam quod mulieres illæ; *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Quomodo? Propter Lazarum mortuum lacrymatus est Jesus, & non licebit mihi lacrymari propter moriturum pro me JESUM? *Tu eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis: & non licebit mihi propter te lacrymari? Lacrymis meo stratum meum rigabo; & quia inveni gratiam in oculis tuis, oculi mei deducunt exitus aquarum.* Hæ lacrymæ, scio, dulciores tibi sunt super mel & favum. Denique audebo hîc idem loqui, quod tuus Prophetæ: *Inebriabo te lacrymâ meâ; donec abstergas omnem lacrymam ab oculis meis.*

Luc. 23.
28.

Pf. 114. 3

Pf. 6. 7.
Esther.

7. 3.

Isa. 19. 7.

C A P U T XI.

Christus in Cruce.

§. I.

Inclinat se Christus in Crucem.

Aderat tandem tempus, quo Christus, qui à xxxiii. annis conceptus de Spiritu sancto, inclinaverat cælos, & descenderat, postquam ascenderat montem, inclinaret se in Crucem: ut qui Patri fuerat obediens ab utero Matris, sit eidem obediens usque ad mortem Crucis. Intuitus Crucem, instrumentum dicam crudelitatis humanæ, an pietatis divinæ? exultabat spiritus ejus, sciens quia post tres horas esset traditurus in ea spiritum in